



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon Prussiae

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. VII. De Destructione duorum Castrorum & morte Pipini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Hermannus de Saltza IV. Magister Ordinis Teut. Gen.
Hermannus de Balke I. Mag. Ord. Teut. Provincialis.

CAP. VII.

De

*Destructione duorum Castrorum
& morte Pipini.*

REferunt quidam, quod dum Fratres habitabant in dicta arbore, Prutheni habebant supra Thorum in littore Wiselæ Castrum dictum Rogovy, & infra in descensu aliud circa locum illum, ubi nunc situm est (a) Castrum antiquum, fuit & in medio horum quidam Nobilis de Pomesania Pipinus, qui circa stagnum, quod à nomine suo dicitur Stagnum Pipini, habitabat in quodam (b) propugnaculo, cum multis infidelibus, latrocinia exercens: nullus Christianus poterat exire castrum, ne caperetur, vel occideretur ab eo. Illi supra, isti infra, hic in medio eos impugnabat. Tandem Fratres cum castrensibus de Rogovy in bello convenerunt, & sicut Deo placuit plures ex eis occiderunt, & Capitaneum captum deduxerunt, qui Capitaneus ut mortem evaderet, obtulit eis castrum suum, & in processu temporis, dum castrenses de alio castro inebriati in quadam potatione jacerent, duxit illuc fratres cum exercitu, qui potenter intrantes, occisis omnibus castrum in cinerem redegerunt. Longè postea Pipinum Sororium suum tradidit in manus Fratrum, qui eum ligatum ad Caudam equi traxerunt usque Thorun, & ad arborem suspenderunt. Hic Pipinus fuit Pater illius Nobilis viri de Pomesania, qui dicebatur (c) Macce, & quantum Pater fidei & fidelibus nocuit persequendo, tantum filius profuit Zelando fidem Christi & Christi fideles, quia stetit intrepidus usque ad mortem suam, pro defensione fidei Christianæ.

ANI-

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. VII.

- (a) Castrum antiquum Germanis dicitur *Altthaus*. Polonis *Starigrad*.
 (b) Propugnaculum illud *Schlemmo* appellant multi, quidam etiam
Stemmo, putantque hodie dici *Gardensee*, alii *Colmensee*, quam
 posteriorem sententiam probabiliorem sibi videri dicit *Henne-*
berg, in *Comment. ad Tab. Prussia* fol. 422.
 (c) *Matte* habet *Jerofchinus*. Sed nihil novi est *Dusburgium* aliosque
 ejus ævi Scriptores literas c & t confundere, nisi forte malimus li-
 brariis hoc tribuere.

CAPUT VIII.

De

Peregrinis & Ædificatione Castri &
Civitatis Colmensis.

Cum ergo sonus prædicationis crucis Christi exiret in om-
 nem terram regni *Almanniæ*, & præconizaretur novum
 bellum, quod elegit Dominus in terra *Pruschia*, & novi belli
 indulgentia & libertas, commoti sunt illi, quorum Deus tetige-
 rat corda, electi scilicet & inclyti bella-
 tores *Almanniæ*, & affigentes crucem
 humeris suis, præparant se ad arma, ut
 vindicent injuriam Domini crucifixi,
 removentes à se quicquid eorum san-
 ctum propositum poterat retardare.
 Attendentes ad illud *Hieronimi* salu-
 tiferum verbum exhortationis ubi di-
 cit: Si Pater tuus in limine steterit, &
 frater tuus in collo tuo se suspenderit,
 & mater tua ubera, quæ te lactaverunt
 ostend-

An. (b) Domini MCCXXII.
 in *Toledo Hispania* inventus est
 quidam liber à *Judeo* in medio
 lapidis integri in concavitate,
 quasi quasi lignea folia habuit
 scriptus *Hebraicè, Græcè, & La-*
tine. Tantum habuit de litera
 quantum *psalterium*, & loque-
 batur de triplici mundo ab *A-*
dam usque ad Antichristum pro-
 prietas hominum exprimen-
 do. De tertio Mundo sic lo-
 quebatur: In tertio Mundo *Fil-*
lius Dei nascetur de *Virgine*
Maria & pro salute hominum
 p^a